CONFIRMATIO VERITATIS

Ex Facto, & Iure

PRO

Mag. Gaſpare Romer, & Ioanne Vandeinde.

ADVERSVS

Nouam Fiſci prætenſam actionem, prima nouata, & reuocata.

In Regia Iuncta coram Spectabili Domino Regente D. Gaſpare de Sobremonte.

Reg. Conſiliar. & Præſid. Dñs D. Didacus Moles Commiſſarius.

§.1.

Actio propoſita ad fructus, vel reditus nõ procedit, prout Fiſco non eã cõpetere ad pretium, ipſemet reuocando primã inſtantiam indicauit.

§.2.

Et ſi actione ad fructus aliquos experiri poſſet Fiſcus, ſtatim redeundum eſſet agendo ad pretium, non ad fructus, qui fuerunt venditi quando adeſſent, certo conuento pretio in eodem contractu.

§.3.

Sed ſi actio ad fructus non ad pretium aliquo modo competeret, nulla vnquam applicari poteſt qualitas depoſiti, & enucleatur l. ſi quis vel pecunias, C. depoſ.

Andreas Staracius Act.

Digitized by Google

Ieſus, Maria, Ioſeph.

FIſcus primò petijt in Regia Iuncta cogi via exequutiua Gaſparem de Romer, & Ioannem Vandeinde ad ſibi ſoluendũ ducatos quinquaginta mille quatuorcẽtum triginta ſex, ac tarenos quatuor ex cauſa pretij cuiuſdam reſidui capitalis ex redditibus ann. du. 6800. reſeruatorum ſibi per Curiã ſuper Gabella ſecundi caroleni pro ſtareo olei impoſita in anno 1639. cum intereſſe ad rationem decem pro cẽtenario ab anno 1640. vt fol. 3. & produxit inſtrumenta duplicata ſub die 4. Auguſti, & 21. Octobris anni 1639. fol. 5. & 10. in quibus apparet Regiam Curiam præuia aſſertione cuiuſdam Conſultationis eidem factæ per quandam Iunctam, vt fol. 5. lit. A. ordinaſſe nouam Impoſitionem in iſta Fideliſſima Ciuitate, ac Diſtrictu alterius caroleni pro quocunque ſtareo olei vltra primum indictum à propria Ciuitate, ac dictam Impoſitionem vti aſcendentem ad annuos duc. 27. mil. cum ratione certa ad affictum primi caroleni, ſic̃, & pro tanta quantitate tunc, vt aſſertum fuit affictati Ambroſio Cacciuttolo, vt fol. 6 lit. B. vendidit Excellẽtiſſimus Prorex dictis Romer, & Vandeinde dictam Gabellam valutatã pro dictis ann. duc. 27. m. ad certam rationem pretij capitalis duc. 69. pro centenario, ex quo reliquos duc. 31. relaxauit pro alagio, & capitalia prædicta fuit conuentum in vẽditione in perpetuũ fore pro correſpectiuo redituum ad rationem octo pro centenario, vt fol. 6. in fin. & ater. cũ libero gubernio, & adminiſtratione, & cum augumento, & diminutione illius ad beneficium, & damnum prædictorum Gaſparis, & Ioannis

d. fol. *6.* lit. C. & in defectu Impoſitionis prædictæ ſuper omnibus alijs bonis; & introytibus Regalibus Regni huius, præſentibus, & futuris ad Reg. Cur. ſpectantibus ad electionem dicti Gaſparis, & Ioannis.

Pacto etiam fol. 7. Quod ijdem introytus venditi cum dicta adminiſtratione, & gubernio Gabellæ prædictę pro quauis cauſa vrgenti, neceſſaria, & priuilegiata, etiam pro bono pacis, & ſtatu Reipublicæ dicti Regni, & pro publica vtilitate, vel alia quauis cauſa opinata, vel inopinata, etiam motu proprio, vel de ordine in contrarium quouis futuro tempore ſupradictæ Catholicæ Maieſtatis, S. E. ſiue quorumuis Officialium ſuper omnibus in præſenti contractu declaratis, & conuentis, diminui non debeant ad minorem reditum octo per centum, & quod eſſe debeāt &c. liberi, exempti, & immunes tàm à retentione tertiarum, quàm à quauis alia taxa impoſita, & imponēda &c. quam ab omnibus ſuſpenſionibus, & quibuſuis alijs oneribus, & eorum ſingulis &c. cum refectione damnorum, expenſarum, & intereſſe, cedens &c. ponens, & conſtituens &c.

Fuitq; conuentum fol. 7. ater. quod ſi annui introytus prædicti venditi cum dicta adminiſtratione, & gubernio eiuſdem Gabellæ, etiā ex cauſa belli, & peſtis, vel alio caſu vrgēti, inopinato, neceſſario, & pro ſtatu Regni &c. *diminuerentur*, & deindè conſideratis, quę poterant nō caſu, ſed facto Curię euenire ſubiūgitur, *vel ſuſpenderētur, & integrè dicti ānui introytus, vt ſup. vēditi exigi nō poſſent ex cauſa* R.C. ꝓmiſſa fuit euictio, anteſtatio, defenſio, & exigibilitas, imò refectio, & emenda ſuper omnibus bonis &c. fol. 7. in fin. & 8.

Verum de dictis annuis duc. 27. mil. reſeruauit ſibi Regia Curia ann. duc. 1800. *pro cauſis oretenus expreſſis,*

vt fol.

vt fol. *6.* & cauſæ prædictæ fuerunt explicatæ in inſtrumento ſubſequenti, & ann.duc.25200. remanſerunt vt ſupra venditi cum dictis pactis eiſdem Romer,& Vãdeinde pro pretio duc.315.mil. de quibus fuerunt relaxati pro alagio, vt ſupra conuento duc. 97350. reliquos verò duç. 217350. declaratum fuit, fuiſſe ſolutos per medium Banci,vt f.*6*.in fin.& ater.

Veritas autem, quia erat reſeruationis prædictæ duc. 1800. per annum ad beneficium Curiæ, non vt participaret Curia in reditibus,ſed re vera, vt ipſa ſubiret onera, & immunitates de dicta Gabella debitas perſonis Eccleſiaſticis,dùm pro eadem ſumma punctualitèr reperiebatur facta tranſactio cum dictis Eccleſiaſticis pro eadem Gabella primi caroleni ſuper oleo, vt ex relatione D. tùnc Delegati Regij Conſiliarij de Angelis.

Ideò hæc veritas fuit declarata in ſecundo inſtrumēto ſub die 21.Octobris 1639.fol.10.ater. lit.E. & quia Gabella prædicta erat impoſita non à Ciuitatemet, vt erat primum carolenum,ſed motu Principis,comparuit Ciuitas, petens immunitatem pro omnibus ſuis ciuibus, vt expreſsè declaratur fol.10.ater. verſ. *Dopoi ſiè fatta inſtanza*, & quamuls dictum fuit in inſtrumento,prætendere Fiſcum nihil debere pro dicta immunitate, actamen fuit conuentum de prima ſumma ann.duc.25200.venditorum dictis Romer, & Vandeinde, iſti cederent vltra primam quantitatem ann. ducat. 1800. alios ducat.5000. in totum annuos ducat. 6800. *reſtandono ſolùm in beneficio di detti Gaſpare, & Giouãni annui ducati* 20200. *per capitale de ducati* 252500. *vt fol.* 11. & ſubiuncta fuerunt hæc verba, quæ forſitan dant cauſam iudicio præſenti.

Però

Digitized by Google

Però è conuenuto, che hoc non obſtante tutta detta Impoſitione integramente ſe adminiſtri per li detti Magnifici Gaſpare, e Giouanni, & li detti annui duc. 6800. peruenghino in loro potere per lo effetto predetto di pagare le franchitie, e l'vſo à chi ſarà ordinato, reſtandono però obligati di dare conto nella Regia Camera di quello in fine dell'anno importarà, & dedotto il ſudetto, lo auanzo pagarlo alla Regia Corte.

E per patto eſpreſſo ſi conuenne, che nel fine del primo anno ſi debbia far conto di quello che importarà detto vſo cõceduto, e pagato, e franchigie, & il di più che reſtarà di detti annui duc. 6800. SE INTENDA VENDVTO *alli ſudetti, del modo, e forma, come il di più, fol. 11. ater.* & inſeritur vigliectum S. E. eiuſdem tenoris, ibique fol. 12. leguntur hæc verba lit. H. *y lo que alcanzare queda vendido a los dichos Gaſpar de Romer, y Iuan Vandeinde en la miſma forma, que ſe contiene en el inſtrumento que ſe hà hecho &c.*

In diſpoſitiua leguntur eadem verba d. fol. 11. in fin. & ater. & proindè expreſſum fuit d. fol. 11. in vlt. verſ. *Che detti Romer, & Vandeinde per obedire al comando di S. E. retrocedono, & annullano à beneficio della Regia Corte annui duc. 5000. della ſumma delli annui ducati 25200. venduti li ſopra detta Impoſitione, e perciò detta vendita reſta ſolo per annui duc. 20200. franchi, liberi, & eſempti da ogni peſo, & ſeruitù per prezzo de ducati 252500. delli quali deduttone duc. 78275. per lo alagio alla raggione di 31. per cento reſtano duc. 172500. che ſe deuono pagare al preſente in Caſſa militare, & elaſſo lo anno che ſe vederà quello che dette franchigie, & vſi importaranno, & auanzando della detta ſumma d'ann. duc. 6800. alcuna quantità, ſe intendi, & habbi quella per venduta alli detti Gaſpare, & Giouanni alla iſteſſa*

ragione,

*ragione, & ſtano obligati di pagarnè il prezzo del modo, & forma come pagano di detti ann.duc.*20200.

Et tandem concluditur,cõtractus in his duobus inſtrumentis licere dictis Romer, & Vandeinde adminiſtrare totam Gabellam, & compotum dare in Regia Camera de vſibus,& franchitijs prædictis, & reliquũ ſoluere,vt fol. 12.ater.in fin.& fol. 13.

Fundabat ergò Fiſcus primam inſtantiam pro pretio reſidui redituum, quos Regia Curia ſibi reſeruauit de dicta Gabella, dùm ipſe dicebat apparere, quas franchitias fuiſſe datas, & ſolutas per Clientes Romer,& Vandeinde in primo anno 1639.& 1640.ſicq; ex pacto reliquum dicti reſeruati reditus vſque ad ſummam ann. duc. 6800. ſpectantium Regiæ Curiæ, vti venditum ex tùnc ijſdem Clientibus hos teneri ad pretium conuentum vnà cum intereſſe.

Dùm nos occurrere tali prætenſioni conabamur tùm per Iura, & cauſas, voce,& in allegationibus cumulatas, tùm ex factis deductis in iudicio fol.20. 22. & 28. magnum ſignum apparuit reuocatæ iàm dictæ inſtantiæ fiſcalis per Dñm Sac. Conſ. Decanum Regium Conſiliariũ Gamboa Fiſci partes tuentem, qui reuocando expreſsè primam inſtantiã,nouitèr inſtetit,cogi Clientes ad ſoluendũ Regiæ Curiæ *fructus* dictæ quantitatis reſeruatæ ann.duc.6800.quos ipſemet liquidatos attulit in ducatis nonaginta quatuor mille ducentum ſexaginta vnum, & eoſdem ſubiunxit fuiſſe *depoſitatos* per Regiam Curiam in manu, & poſſe eorumdem Romer, & Vandeinde pro ſoluendis franchitijs;& vſibus perſonis Eccleſiaſticis, & ciuibus Neapolitanis, & deducta quantitate, quæ apparebit ſoluta in primo anno 1640.poſt contractum, quo tempore(ait Fiſcus)nulla apparet ſolutio facta,

reliquum

reliquum deberi Regię Curię,proinde dictam quantitatem ſoluendam Fiſco, *reiecta omni exceptione* ab illis propoſita fol.78. intimata fol.79.

Remanet ergò per hanc reuocationem expreſſam Fiſci in iudicio,acceptatam per Clientes in parte, & partibus,vt fol. .reiecta., & renunciata prima actio ad pretium, vt fundare eſſet facile, quando Fiſcus ad eam redire vellet, & vt prętenditur, ſubrogata actio ad fructus, qui aſſeruntur non ſolùm quod exiſtant, & ſunt peruenti in poſſe dictorũ Romer, & Vandeinde,quinimò eos fuiſſe depoſitatos,& ad eos perueniſſe cum qualitate depoſiti, quam actionem depoſiti pro dictis fructibus nùnc reuocata prima actione ad pretium capitalis, propoſuit Fiſcus, vt ſe ſaluaret à compenſatione, retentione, & alijs gradatim propoſitis per Clientes aduerſus primam actionem ad pretium; erant enim Fiſco magnum ſtimulum dictæ exceptiones oppoſitæ per Clientes, quæ tamen fuerunt propoſitæ gradatim, & conditionalitèr,in caſu, quo ipſi ad aliquid tenerentur, vt in primis allegationibus, & in comparitione fol.27.

Et licèt quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, nihilominus quia veritas eſt ſemper eadem, & qui veritatem pro ſe habet, quocunque ſe vertat aduerſarius, in tuto erit, ideo nos ex ijsdem primis defenſionibus huic iudicio nouo occurremus paucis additis.

Et primò,fundatum dicimus omni Iure, actionem vllã deberi Fiſco ad prætenſos fructus, multò minus quã ei non competebat ad pretium capitalis de dictis fructibus.

Secundò, ſi actio prætendi poſſet aliqua ad fructus, nõ fructus venire poſſent in petitione, ſed pretium capitalis,

pitalis, & hanc actionem remiſit Fiſcus, vel potius agnoſcendo bonã fidem reuocando inſtantiam virtualiter declarauit non ei competere.

Tertiò, & ſi vel pro fructibus, vel pro prima actione remiſſa, & reuocata ad pretium, aliquid fiſco deberetur in eternum poſſe qualitatem appoſitam depoſiti dentibus trahi ad caſum noſtrum, vt excludantur exceptiones doli, cum reuerentia; Compenſationis, ſiuè potius contrapoſitionis, & retentionis gradatim, & ex abundanti oppoſitæ, & fundatę in primis Allegationibus.

§. *I.*

QVo ad primum, ſi Fiſcus agit ad fructus, ſiuè reditus annu. duc. 6800. quos Curia ſibi reſeruauit in dictis inſtrumentis: Obſtant ei omnia, quę in 2. §. Primarum Allegationum deducta ſunt, vbi fundauimus, quod vel Fiſcus vult prætendere dictos reditus vti verè, & realitèr perceptos, vel quia percepti, aut non percepti debentur Fiſco ante omnia. Quod non fuiſſent percepti, nec venerunt in poſſe dictorũ Romer, & Vandeinde dicti ann. duc. 6800. dicebatur apparere ex duabus propoſitionibus indubitatis, vna facti altera Iuris. Prima facti eſt gabellam prædictã, quæ non dubitatur, quod in ipſo contractu, & in primo, & ſecundo inſtrumento fuit valutata pro annuis duc. 27. m. iàm apparere ex ſcripturis indubitatis tot Officialium Regiorum, qui interueniunt in omni immiſſione olei, vt ex fide Regię Dohanę, de ordine Spectabilis Dom. Locumtenentis fol. 76. & ater. non reddidiſſe, nec fructaſſe, nec dictos 20200. venditos per Curiam cum clauſulis, & pactis enunciatis, imò in eodem primo anno, & in ipſo tempore contractus reddidiſſe ſolum annuos duc. 18610. 4. 19. & in an-

nis ſequentibus deterioratam,vt ex fide fol.75. Imò per nouam impoſitionem ſuper eodem oleo tertij caroleni venditi Magnifico Bartholomeo de Aquino,fuiſſe antecedentem impoſitionem, facto Curiæ deterioratam pluſquam notabiliter,vt ex inſtrumento met cum dicto Magnifico Aquino in anno 1642. fol.70. & maximè non reddidiſſe, nec annuos duc. 8.m. poſt redactionem dictæ gabellę ad medietatẽ caroleni in anno 1648. de quibus adhuc Regia Curia percepit ſibi taxam annuorum ducat. 1500. quæ taxa poſt contagium vix poteſt colligi de reditibus totius gabellæ prædictæ. Hæc omnia nota ſunt non ſolum ex factis permanentibus, & ſcripturis prædictis publicis, & Officialium eiuſdem Regiæ Curiæ; quinimò conſtant ex computis, quæ quolibet anno pręſentãtur in Reg. Camera per eoſdẽ Credenzerios Regios. Nec vlla vmbra excogitari poteſt,aduersũ talem euidentiam, quando in immiſſione vnius ſtarei, ſiuè menſuræ olei,requiruntur centum interuentiones Officialium,vt ex dicta acteſtatione Reg. Dohanę fol.76. & omnibus eſt hoc factum nimis notum de per ſe manifeſtum.

Alia propoſitio Iuris erat magis euidens, quod ſi Regia gia Curia de ſumma duc.27.m. ad quos fuit valutatus reditus gabellæ in ipſo contractu, reſeruauit ſibi eadem Curia venditrix duc.6800. venditis alijs duc. 20200.noſtris Clientibus, omni Iure prius iſti emptores debent ſibi ſatisfacere, & retinere quantitatẽ venditam, & de eo, quod ſupereſt remanet contractus ad beneficium venditoris, ratio eſt viua, ex ratione *tex. in l. ex his prædijs, C. de euiction.* Si enim ſumma reſeruata ad beneficium Curię fuit pro ſoluendis franchitijs, & ſumma vendita Clientibus fuit

fran-

francha, vt in facto notatum fuit ex verbis expreſſis contractus: ergò ſumma reſeruata Curiæ fuit ad finem, vt franchi remanerent annui duc. 20200. non ècontra, vt prætendit Fiſcus, & ſic iſta ſumma reſeruata fuit,vt franchi eſſent reditus venditi, igitur ad liberationem ſummæ venditæ, non vt hæc ſeruiret ſummæ reſeruatæ fuit facta reſeruatio; & ità procedit viua ratio,& diſpoſitio,*text.in d.l.ex his prædijs, cum concordantibus*.

Nec dicatur vendidiſſe Curiam annuos duc. 20200. *cum augmento,& diminutione*, quia intelligendum eſt de eo quod accidere poſſet in futurum,prout de Iure eſt in contractu empti, & venditi, *ad l.1. & toto tit.C.de peric.& comod. rei vend.* maximè nè contradiceret ſibi contractus, dùm in eodem legitur fuiſſe venditam annuam quantitatem duc. 20200. certam de certo, & ad certũ pretium, & quamuis adſit pactũ tranſire Gabellam emptoribus ad eorũ comodũ, & periculum, vnde videtur non poſſe opponere de diminutione, *ad textum in l.& Ariſtoni, vbi Bart. ff. mandat.* & hoc operatur pactum, quamuis ex contractu emptores non tenerentur, *l. ex mandato* 20. *ff. mand. l.negotium, ff. de negot. geſt.* Hoc procedit de diminutione, quæ ſucceſſiſſet non facto Regiæ Curiæ, vel per caſus non ſuſceptos expreſsè per eandem Regiam Curiam,ad notata per *Anchar.conſ.*414. *Bart. in l.ſi verò, cum quidam, num.*3.*ff.locat. Pariſ.* & caſus inſoliti non facto venditoris adhuc non comprehenderentur, vulgata *l.fiſtulas, §.frumenta, ff.de contrah.empt.Bart.in l.ſed & ſi quis,§.quæſitum,num.*3. *ff.ſi quis caution. Menoch. conſ.*27. *num.* 18. *Rolandus conſ.*43.*num* 46.*lib.*3. *& alij per Antoninum de Amato reſolut.*18.*num.*2. *cum ſequentibus*. Sed hæc omnia

procederent de diminutione poſt contractum ex factis, & caſibus ſuperuentis;vllo autem modo dubitari poteſt defectum Gabellæ in ipſo tempore contractus repertum contra aſſertionem redditus valutati pro annuis ducatis 27. mil. qui fuit pro tertia parte minor, vt notatum eſt in ipſo primo anno, & ipſo tempore erectionis Gabellæ,omnino fundauimus cedere damno venditoris,quinimò fundauimus, quod quando fuiſſet venditio ad corpus non ad certum numerum, vel menſuram, adhuc facta relatione ad certam quantitatem, ſi minor eſſet reperta tempore cõtractus, dari actioné,non tantùm exceptioné aduerſus venditorem,&(quod eſt mirabile)ſi eſt pluris cędit comodo emptoris,eſt *text.in l.ſi venditor 39. ff.de action.empt.* ad hoc reportatus per *Mantic.de tacit.lib.4.tit.17.nu.20.* ad idem eſt, *text. in l.ſi duorum, ff.eod.tit.de act.empt.* & quando mentio de duc.27.m. fuit facta in iſto contractu, equidem nemo Iudex cordatus cogitare poteſt, fuiſſe abſq; vllo propoſito, quinimò per indiuiduum voluntatis omnia eſſe correſpectiua ad id hoc eſt, quia dixit Curia, ꝙ gabella erat reditus annuorum ducat. 27. m. ideò emptores de dicta ſumma expreſſa retroceſſerunt ann. ducatos. 6800.de quibus ſolutis franchitijs reliqui computũ dare promiſerunt, ideòq; pretium fuit conuentum ad rationem duc.69.pro centenario, nam aliàs ſi cogitaſſent de exceſſu in minori quantitate tempore contractus, nec ità ſe obligaſſent, nec ità contraxiſſent, proùt in puncto ſucceſſit in eadem gabella tertij caroleni vendita pro minori pretio vſq; ad ſummam minus duc.40.m.circitèr Magnifico Aquino, & hoc apparet promptè ex allegato inſtrumento in actis; ſed omni Iure ſic probant de tali correſpectiuo volun-

ſuntatis ad quantitatem expreſſam, & ſi in venditione ad corpus, vt minus repertum cedat damno venditoris, *Coſta de Port. & Rata quaeſt.* 35. poſt *Mantic. loc.cit. Surd.deciſ.* 64. & ſignantèr *num.* 16. quod procedit etiam ſi venditio corporis fuit facta cum enunciatione certę quantitatis, gratia demonſtrationis tantum, dummodò pretium ſit conuentum pro ſingulis ratis, putà (vt in caſu noſtro) pro ſingulis octo reddituum ducatos centum capitalis, ità in ſimili concludit *Surd.deciſ.* 257. *in fin.* per *text.in l.ſi ſeruum,* §. *ſi modum, ff.de act.empt.* & omninò reuidendus *Cyriac. Niger.cit controu.* 53. 1. *vol.* ſignanter *num.* 16. *verſ. ſed & quatuor argumentis, & num.* 23. *verſ. nec obſtant,* vbi reſpondet ad hominem huic motiuo, quod venditio fuit facta ad periculum, & commodum, vel cum augmento, & diminutione fundans hoc intelligi tempore contractus de paruo minori, & modico defectu, ità per *text.in l.hæc adiectio* 192. *de verb.ſign.* vbi per Pandectas Florentinas explicatur hoc modicum eſſe *ſi ad minutulam ſummam referatur,* vt ex *Gloſ. margin. in d.l.hæc adiectio,* vbi *Alciat.in fin.* & licèt concludatur illud modicum remitti arbitrio Iudicis, vt *Gloſ. in d.l.hæc adiectio,* attamen in puncto, quando fuit vendita res etiam ad corpus, enunciata certa quantitate, ſi exceſſus erit in tertia parte nulli dubium remanere, debet venditoris damno eſſe, *Surd.cit.deciſ.* 64. *nu.* 28. *erga finem numeri,* quod procedit etiam ſi venditio facta eſſet ad corpus, cum deſignatione quantitatis, cauſa demonſtrationis, & cum *pluri, vel minori quãtocumq;* ad onus, & comodum, vt fundat punctualiter idem *Niger loc.cit.num.* 24. *ad text.in l.qui concubinam,* §. 1. *de leg.* 3.

Quantò fortiùs in caſu noſtro, vbi factum eſt pinguius

pro-

Digitized by Google

pro iuſtitia Clientum; hi enim non principaliter veniunt pro nunc ad refectionem iſtius defectus pluſquam tertiæ partis redituum gabellæ in ipſo tempore contractus valutatæ pro ducatis 27. m. nec fuit redditus pluſquam ducat.18. & quæ non reddidit, neq; minimam partem poſt, occaſione & factis eiuſdem Regię Curię,ſed agente Fiſco venditore ad ſummam quandam ſibi reſeruatam de ipſa met quantitate deſignata reddituum hoc eſt de dictis duc.27.m. dicunt excipiendo non teneri, niſi Fiſcus fundet percepiſſe Clientes, iàm dictos integros redditus,& fructus, ad not.per *Surd.loc.cit. num.*29. vbi quod iſto caſu venditor, aduersùs emptorem excipientem tenetur probare perceptionē, non autē excipiens probare negatiuam; & multò magis, quādo ex poſt facto idem venditor in cauſa fuit deteriorati redditus per nouas impoſitiones, taxas, & alia deducta in primis Allegationibus.

Et quando hæc non ſufficerent addebamus venditorem concurrentem cum emptore in re vendita, ſicut cedentem cum ceſſionario, ſi venditor promiſit euictionem,imò exigibilitatem,& alia, vt in facto noſtro notauimus, tunc omninò prius, & potius erit Ius præcipuum emptoris,vt plenè fundauimus, ex *Salgado, & alijs cumulatis in* 2.*S.primarum allegationum.*

Nunc iàm dictis addere iuuat Fiſcum agentem ad fructus omninò excludendum, ſi vult fructus ex obligatione ſoluendi eos facta per Clientes, quaſi præcipuos,quia nec promiſſio fuit ſoluendi ſimpliciter annuos duc.6800.vel quod ſupereſſet de dicta quantitate deductis franchitijs, benè tamen (& hoc aduerti rogamus,quia factum eſt euidens ex inſtrumento) dum in ipſo contractu Curia vendidit ann. ducatos

20200.

Digitized by Google

20200. deindè conceſſit integram gabellam ſub administratione,& gubernio eorundem Romer,& Vandeinde,ideò ſubſequenter hi Adminiſtratores totius gabellæ ſe obligauerunt ſoluere, quod remaneret deductis franchitiis de dictis ann. duc. 6800. ex hoc facto ſequitur vti adminiſtratores noſtros Clientes ſe obligaſſe computa dare, & reliqua ſoluere, nam certum eſt contractũ fuiſſe venditionis perfectę pro annuis duc. 20200. quia hi tranſibant in plenum dominium emptorum à prima die contractus,& ad comodum,& onus Clientum,& proindè certè nil ineptius, quam pro eis dicere locum habere conceſſionẽ adminiſtrationis,& quod adminiſtraretur, & gubernaretur gabella per emptores Dominos gabellæ pro illa quantitate,pro qua translatum fuit dominiũ abſolutè,& liberè; igitur pro ea vnquam verificari poteſt conceſſio adminiſtrationis,ſed omninò intelligendum eſt pro ſumma reſeruata, & quia incerta propter incertitudinem franchitiarum, ideò non purè, nec abſolutè vendita, niſi facta liquidatione. Vndè pro his ducatis 6800. cadit qualitas adminiſtrationis: ſi ergò pro his reſeruatis quantitatibus, fuerunt Adminiſtratores, & Gubernatores Romer, & Vandeinde,quando ſe obligauerũt ſoluere, quod ſupereſſet deductis franchitijs, non niſi adminiſtratorio nomine ſe obligauerunt ; hoc eſt ſi aliquid vltrà ducatos 20200. ſibi venditos de ſumma aſſerta redditus gabellæ valutatæ pro duc. 27. m. in eorum poſſe perueniret,vel culpa eorum periret, vndè Iuris regula,quam exornat *Peregrin. in tract. de pact. & conuention. lib. 5. num.* 174. quod ſi in vno contractu promiſi aliquid, intelligitur promiſſio cum clauſula *rebus ſic ſe habentibus, l. quod ſeruius, ff. de cond. cau. dat.*

vbi

vbi *Iaſ.num.3.verſ.circa tertium, l.ſi conuenerit, ff. pro ſoc.cum ſimil.* & indè ſuccedunt ex hoc non poſſe cōtra obligatum cauſa, & occaſione alicuius adminiſtrationis agi ad certam quantitatem vti receptam, omninò & præcipuè debitam, proùt in iſto iudicio prætendit Fiſcus,ſed agi poteſt ad factum, nempè,vt videatur,& diſpungatur, quid in ſui poſſe peruenit, & quid remanſit duſpunctis omnibus depedentibus ab adminiſtratione prędicta fundata in omnibus cōuentis in contractu,ità *Eſcobar.de ratiocin.cap.21.n.12 cum ſeq.* per *tex.in l.de illo,ff.pro ſoc. Purpurat.conſ.339. num.2.lib.2.Bald.conſ.463.num.4 lib.1.Crau.conſ.231. num.16.& conſ.275.num.13. Caſtr. conſ.371. num.1. lib.1.& conſ.126.ad medium,lib.2. Caualcan. de tutor. num.214 Surd.deciſ.184.num.2.verſ.non reſiſtunt*, qui poſt *Alex.conſ.192.vol.7.* vult, quod neq; ſi appareat de pecunia verè, & realitèr peruenta tutori poteſt conueniri hic via exequutiua ad illam quantitatem, & rationem,affert *d.nu.2.verſ.motus principaliter,quia Tutori ſunt compenſanda, quæcumq; in vtilitatem pupilli probat impendiſſe*, & deindè ſubiungit: *Ità iniuſtum eſſet condemnare cauſa non plenè cognita*, poſt *Neguſan.de pignor. membr.1.p.5.num.37.* & abſolutum, hoc eſt in pecunia,quicquid in ſpecie foret, nam adminiſtrator conueniri debet via ordinaria, vt plenè *Alex.d.conſ.192.num.3.lib.7.* maximè, dum promiſſio ſoluendi,in caſu noſtro, fuit occaſione adminiſtrationis pro incerta quantitate, quæ remaneret deductis franchitijs, indè agi, nec poteſt pręcisè, & via exequtiua,ſed quatenus peruenit ad eos, vt fundatum eſt in *Primis Allegationibus*, plenè in 1. & 2. §.

§. *II.* Se-

§. II.

SEcundò tamen, principalitèr dicimus, & pdicta confirmamus, neq; Fiſcum agere nunc poſſe ad fructus, non ſolum, quia nō fuerunt percepti de sūma retenta per Curiā in dicta gabella, & ſic neq; pro eis tenētur Cliētes, ſed ex alia ratione, quia in codē inſtrumento fuit conuentū, ꝙ ſi aliquid ſupereſſet deductis franchitijs, intelligeretur venditum capitale ſuper fructibus illis, qui remanerēt, & fuit conuentū idem ſoluēdum pretium, & eodem modo, & forma, proùt erant venditi annui duc. 20200. ergò, vel eſt verum fructus, quod vnquā fuerunt percepti vltrà quantitatem ſemel venditam (& ità veritas eſt) & iſto caſu Fiſcus aliquid prætendere non poteſt: Vel ſi aliquid probari poſſet remanſum de dictis redditibus deductis franchitijs, & ab initio ex conuentione perfecta remanſit venditio facta in eodem inſtrumento ad beneficium noſtrorum Clientum, & ſic Fiſcus venditor remanebit creditor pro eo quod remaneret, ad pretium tantùm non ad fructus. Quam actionem ad pretium ſi Fiſcus reuocando inſtantiam factam pro dicto pretio iàm remiſit, omninò abſoluendi ſunt conuenti, & obſtarent omnia Iura in primis allegationibus, quando nos agebamus de dicta actione ad pretium. Quod euidentiſſimè, vt videatur omni Iure procedere, petimus à Fiſco venditionem illam factam de omni toto, & quicquid remaneret de reditu duc. 6800. ſolutis franchitijs iudicandis, & liquidandis, quomodo vult Fiſcus eam vocare, ex illis verbis: *Se intendi venduto*, & *queda vendido*, vel dicit eam fuiſſe puram venditionem, licèt quantitatis liquidādæ; & ſi pura eſt venditio certum remanet aliam actionem non habere, nec habuiſſe à principio contra-

tractus, niſi ad pretium cum legitimis acceſſionibus, non autem ad fructus, qui ſunt à principio emptoris, *l.* 2. *& l. curabit, C. de act. empt. & toto tit. ff. eodem*, aut vult Fiſcus fuiſſe venditionem conditionalem, ſiuè in diem, ad *text. in §. pænult. inſtit. de empt. & vendit. & in l. neceſſario, in princ. ff. de peric. & com. rei vend. l.* 1. *cum ſeq. ff. de in diem addict.* & iſto caſu, vel purificata eſt conditio, & aduenit dies, & verificata eſt ſuſpẽſionis cauſa, vel non. Si Fiſcus agit nunc ad fructus, quia aſſerit ad fuiſſe fructũ certum, reſidui duc. 6800. deductis franchitijs: ergò ipſemet confitetur iàm purificata omnia, & certam eſſe ſummam venditam pro qua agit, & ſic caſum eueniſſe venditionis in eodẽ inſtrumento conuentũ, vndè ſuccedit regula notiſſima, quod fructus medij temporis, etiam in caſu purificatę conditionis, & die aduenta ſunt emptoris, vt per *Gabriel. conſ.* 64. *n.* 12. poſt *Rom. conſ.* 538. *Anan. conſ.* 19. *num.* 16. Intelligitur enim ab initio redditus hic vẽditus ad pretium conuentum, & fit retrotractio ſemper, quod incipit certum eſſe, quod fuit venditum de redditu remanendo ad beneficium Fiſci, & ſic Fiſcus habet actionem ad pretium non ad fructus, prout ex *Bart. Bal. & alijs, in d. l. neceſſario, §. quod ſi pendente*, concludit magiſtraliter *Gabriel. loc. cit. nu.* 13. qui etiã adducit egregium *conſ. Paul. de Caſtr.* 267. *vol.* 1. *Hercul. Cagnol. & alios*, vbi *in fine dicti conſil.* diſtinguit de ſuſpenſione ad conditionem neceſſariam, quia non poſſit ab ea recedi, vt eſſet in caſu noſtro; tunc enim ſemper fit retrotractio, & fructus debentur emptori, ad *text. in l. qui pecuniam, ff. ſi cer. pet. Caſtr. in l. quidam, cum filium, §. fin. de verb. oblig.*

Confirmatur hoc omninò, quia per contractum anni 1639. fuit gabella tota tradita, & in ſolutum data, ait ipſe

ipſe Fiſcus, indè nõ eſſe illum contractum venditionis toc reddituum ſuper illa re, ſed fuiſſe venditionem,& in ſolutum dationem ipſius rei, ſeù gabellæ cum periculo,& comodo emptorum (ità ipſe met cõtendit Fiſcus) nam aliàs cauſa eſſet in tuto pro Cliẽtibus, qui pro redditibus venditis ſuper gabellam ad reſeruatam ſummam ad beneficium venditoris eſſent Iure omni præcipui. Igitur ſi dicit Fiſcus gabellam fuiſſe venditam, in ſolutum datam, ac traditam talem qualem cum reſeruatione reddituum pro Fiſco,non poteſt effugere ſaltim hanc certam regulam Iuris,quod emptor cui tota res tradita fuit, faciat fructus ſuos iure dominij, etiam ſi venditio non fuiſſet libera, abſoluta, & perfecta, ſed penderet ab aliqua declaratione quantitatis, vt pro iſta, in caſu noſtro, ad ea, quæ à principio defenſionis noſtræ iuſtitię allegabantur,deducta per *Ioſeph Ludouic.dec.*53 *Petr.de Benintend.dec.*29.*num.*5.*Carrocc.dec.*51.*nu.*50. *Marta dec.*152.*num.*3.*Hermoſill. ad ll. Hiſpan. tom.* 2. *gloſ.*3.*l.*10.*tit.*5 *p.*5 *fol.mihi* 60 *nu.*5. *Magon. deciſ.Luuen.*31.*n.*13.*&* 14.*Fab.de error.pragm.tom.*3.*decad.*75. *cap.*5. Vndè ſi pactum adeſt in inſtrumento, quod illud reſiduum declaratis franchitijs, quod remaneret de rata retenta per Curiam venditricem totius gabellę, intelligeretur venditum,&c. ergò interim tradita re,iſti noſtri Clientes emptores gabellę fecerunt fructus ſuos, nec venditori vlla actio ſpectat ad fructus,ſed ad pretium,ſi alia deducta non obſtarent, ex quibus agnoſcens veritatem ipſe veritatis defenſor Dom. Fiſci Patronus actioni ad precium renunciauit reuocando primam inſtantiam. Nec dicat Fiſcus adeſſe pactum in inſtrumento, quod illud ſupereſſet de dictis ducat. 6800. deductis franchitijs, *lo auanzo*

pagarlo alla Regi a Corte, quia verbum *ſoluere* notum eſt denotare omnem ſatisfactionem non eam tantũ, quæ de contantis, etiam de pecunia præſenti, fiat ad *text. in l. ſolutionis verbum, ff. de ſolution.* cum innumeris per *Graſſ. except. 16. num. 9. & ſeq. & Reg. Rouitus. deciſ. 31. in princ.* maximè in caſu noſtro, vbi adeſt in eadem continentia contractus, & pacti, quod reſiduũ ſi remaneret de ijſdem ducatis 6800. ſolutis franchitijs, *ſe intendi, & habia per venduto*, & *Queda vendido*. Igitur tàm ex diſpoſitione Iuris, quàm vt concordentur pacta, verbum *ſoluere*; intelligendum eſt de ſatisfactione ſoluto pretio conuento, itaq; pacta non contradicunt, ſed proùt eſt proprium veritatis, omnia concordantur, imò pacta ipſa hoc declarant expreſsè fol. 11. à terg. vbi quod prius dixerat, *& lo auanzo pagarlo alla Reg. Corte*, ſtatim ſubdit ſe declarando, *il di più ſe intenda venduto, &c. con douerne pagare il prezzo*: ergò obligatio ſoluendi plus, ſi remaneret, fuit pro pretio conuento, *alla isteſſa ragione, & eo modo, & forma, come lo pagano per detti annui duc. 20200. fol. 12. à terg. lit.* I. inde dictum fol. 13. in princ. *Et DELLO auanzo pagarlo alla Regia Corte*, non autem *lo auanzo*, quaſi dixiſſet pretium reſidui non reſiduum, aliàs genitiuum *dello auanzo*, ſtaret impropriè.

§. III.

AD tertium caput principale nunc ſtringendo cauſam accedimus, vbi nos expectat Fiſcus; non enim ipſe vult fructus vti fructus ſimplicitèr, quia incideret in eaſdem exceptiones propoſitas, nec primã inſtantiã reuocauit ex alio, niſi vt ineuitabiles effugeret exceptiones ineuitabiles in prima allegatione, quatenùs aliquid deberetur gradatim per con-

ueni-

uentos, nempè non adeſſe viam exequtiuam, nec excludendam, compenſationem, retentionem, & reconuentionem, in quibus reducebantur, allegata per *Nos in* 1.3.4.*&* 5.§. *Primarum Allegationum*. Vnico enim lapidè hæc omnia cogitauit D. Fiſci Patronus ędificata à nobis deſtruere, per *text. in l.pænult. C.depoſ.* ſupponendo qualitatem depoſiti adeſſe contra Clientes, qui *receperunt* fructus de annuis duc. 6800. illoſq; habuerunt ad *cuſtodiam*, ſiuè vti *ſequeſter*, & pro ſoluenda *cauſa præcipua* franchitiarum. Qua nō ſequuta tenentur Curię vti depoſitatij. Itaq; *illicò* hoc eſt exequutiuè, *modis omnibus*, hoc eſt etiam rigoroſis, *nullaq; compenſatione, deductione, vel doli exceptione oppoſita*, cogendi ſunt reſtituere, ad *text. in d. l.ſi quis, vel pecunias.*

Si factum aſſiſteret, & *text. in l.ſi quis, vel pecunias*, ſic indiſtinctè procederet poſſet Fiſcus cumulare ex eo hæc, & alia. Sed rogamus eum recordari, quod omnia deducta in præcedentibus, & vſq; hùc in præſenti allegatione ni fallimur, reſpondent ad excluſionem talis qualitatis depoſiti, quam prætendit Fiſcus adaptare ſuo huic nouo iudicio.

Et primò, ſi fructus non fuerunt percepti, vti fundabamus in 2.§. primæ allegationis, & in 1.§. huius reſpōſi, corruit omnis prætenſio qualitatis depoſiti. Scimus enim fuiſſe quæſtionem inter *DD.* an depoſitum dici poſſit, de quo vera, & actualis, ac realis conſignatio non apparet, niſi per ſolam confeſſionem depoſitarij, de qua per *Boer.deciſ.*25.*Roland.conſ.*17.*Bal. conſ.*384.*Facchin.controu.lib.*2.*cap.*92. & alios, ac receptiorem eſſe opinionem, priuilegia depoſiti non extendi ad confeſſionatum, proùt poſt *Milan. dec.*40. *Surd.conſ.*246.*num.*3.*lib.*2. ſequitur *Graſſ. d.excep.* 14.

num.

*num.*74.qui allegat *Bal. Soccin. Rim.Iun.Cagnol.Man-dell.Plot.Boer.deciſ.*295.*n.*8. *Carpan.Cumia,Tiraquell. Crauett.Carocc.*& alios, quæ comunior omninò procedit quo ad priuilegia rigoroſa depoſiti, de quibus *d.l.ſi quis, vel pecunias*, vt concordando diſtinguit *Larrea deciſ.*14.*n.*66.ſed ſi contraria opinio procederet, eſſet quandoquis confeſſus eſt habere in depoſitum,vel ad cuſtodiam ſimplicitèr certam ſummam, iàm peruentam in manu ſua,iuxtà ſuam confeſſionē. Non autem ſi affertur promiſſio,& confeſſio,quæ non eſſet de re certa de præſenti recepta, ſed in futurum recipienda,& in eorum poſſe exiſtimata eſſet perueniẽda,quæ deindè non cōſtat perueniſſe, vt in caſu noſtro,imò quā conſtat defeciſſe à prima die,& cōtra expreſſum ſuppoſitum de quantitate totius redditus gabellę in eodem actu, & deindè conſtat annihilatū ſempèr, abſq; eorum culpa, imò ex facto eiuſdem Curiæ, & ſaltim contra conuenta in ipſo contractu. Itaq; non extantibus redditibus, qui prætēduntur promiſſi,nullam dici poteſt ad fuiſſe vmbram depoſiti, & ſic benè diximus, quod ante omnia redeunt diſcutiēdę rationes adductę in prima allegatione,vt conuinceretur dictos redditus vnquā fuiſſe, & perueniſſe in manu emptorū gabellę, & ꝓindè ad nihilū teneri,neq; ſi adeſſet conuētio expreſſa depoſiti,ad ea,quę notauit *Ant. Fab.in C.depoſ.lib.*4.*tit.*34. *diffin.*2.*verſ.neq; n. videtur depoſitū*,vbi ꝗ de aſſentia depoſiti eſt cōfiteri aliquē ſibi perueniſſe,& iàm verè certā rem,vt hic poſſit côueniri actione depoſiti,quā ait eſſe ad inſtar actionis de in rem versò, ad *text. in l.*1.*in fin.principij, ff.de in rem versò*,ibi, *verſum autem id accipimus,quod verſum durat*. In ſumma, ſi verum diximus non adfuiſſe fructus, etiam ex facto Curiæ, defi-

deficit qualitas prætenſa depoſiti, *non entis* enim *nullæ ſunt qualitates*, vulg. *l.eius, qui in Prouinciæ, ff. ſi cert.pet. cum ſimil.* Hic enim contractus depoſiti, re contrahitur, *l.1.ff.depoſ.§ præterea inſtit. quib. mod. re contrab.oblig.* & proindè priùs eſt probandum perueniſſe pecuniam, & ratio eſt, *gloſ in l.aſſiduis, in verbo. Datę, cap. qui pot. in pign. Bocr.d.deciſ.265.nu.8. Milan. deciſ.2. num.40.*

Sed quando remanere poſſet ex impoſſibili aliquid de dictis ducat.6800.quolibet anno liquidatum, & certum deductis franchitijs, tunc redditus iſte, qui remanſiſſet certus, & liquidus, fuiſſet ſtatim emptorum ipſis venditus pro conuento pretio, igitur nec ex deductis poteſt prætendi depoſitatos redditus, vt pro eis agat Fiſcus contra emptores actione depoſiti.

Sed vltrà nunc adducimus iura, & rationes euidentiſſimas. Prima ſit, quę communis eſt in ore omniũ, quod ad finem ſciri poſſit, an quantitas relicta in poſſe alterius, fuerit cauſa depoſiti inſpicienda ſit prima, & principalis cauſa, & origo contractus, ità per *text. in l.1.de præſcript.verb.* ibi, *Item ſi quis pretij explorandi cauſa rem tradat, neq; depoſitum, neq; comodatum erit, ſed non exhibita fide, in factum ſubijcitur actio*, & *Iaſ.* ibi materiam proſequitur. Qualitas enim cuſtodiæ regulatur à fine contrahentium: & hic à prima intentione ipſius contractus, optimè *Gratian. diſcept. 273.* vnde ſi empta res eſſet, & pretium relictum emptori, etiam cum clauſula, *ad cuſtodiendum*, non competit actio depoſiti, ſed ex empto, poſt *Carroc. de depoſ.tit.1. de caſu n.45 Hermoſill.ad ll.Hiſpan.tom.1 fol.mihi 202. num.3.* qui alios allegat, & vltra eos *Barboſ.* ſic limitauit expreſsè diſpoſitionem *text. in d.l ſi quis vel pecuniam, C. depoſ. in collectan. ad dictam legem in 3. limit.*

ſed.

ſed melius omnium dixit idem *text. in l.1.§.idem Pōponius, ff. depoſ.* ibi, *Si tibi mandauero vt rem ab aliquo, meo nomine receptam cuſtodias, idque feceris mandati, an depoſiti tenearis? & magis probat mandati eſſe actionem*, ad idem ipſe *Gratian, in diſcept.174.num.9.* allegans punctualem *Bald.* doctrinam *in l. 1. §. quod ſi rē, ff depoſ.* & ibi, *Gloſ. in verbo cuſtodiæ, Aymo conſ.202. col 4. ad fin. verſ. in iudicanda cauſa, num.8.* & alios ad propoſitum, optimè eandem veritatem, & rationem ſequutus fuit *Borgnin. Caualcan. deciſ.27. tom.2. in finalibus verbis*, vbi concludit: *Sicut etiam videmus depoſitum non habere exequutionem, quando dependet à ſcripta, & contractu non habente exequutionem, quia idem iudicatur de eo, quod de ſcripta, & contractu qui præcedit*, *Soccin. conſ.143. vol.1. & conſ.171. col. pænult. vol.2. Bald. conſ.232. Paul. de Caſtr. conſ.170. vol.2. Rom. conſ.238. col.1. conſ.500. col.2. & conſ. 520. col.1. Dec. conſ.216. Abb. conſ.7. col.2. Alex. conſ.80. vol.3. & ideò notata per Rolan. conſ.17. vol.1. non obſtant, quia loquuntur in verò depoſito, & principaliter facto, & non dependente ab alio contractu, vt Iura Iuribus concordentur, hæc Borgnin.* ad idem faciūt notata per *Mantic. lib.10. tit.3. num.14. Larrea deciſ.14.* ad idem *Ant. Fab. in ration. ad text in d. §. idem Pomponius*, vbi quod in omni contractu inſpicienda eſt origo, & quid actum principaliter, per *text. in l.1. §. ſi ſeruus, ff. depoſ. l. ſi Procuratorem, ff mand. Roman. conſ. 509. Cephal. conſ.369. num.122.* idem *Mantic. de tac. lib.2. tit.3. n.5. Afflict. deciſ.157. num.1. & 2.*

Hucvſq; propter cęleritatē qua fiſcales inſtātię me prēmebāt, vt pro iuſtitia Clientū promptè allegarem, fateor ꝙ calamū peruduxerā, & confidebā validè fundatam exceptionem, ad *tèxt. in d. l. ſi quis, vel pecunias*, indeq;

indeq; Fiſci deſtructam intentionem,ſed mihi occurrit,deindè conſilium Egregij Doctoris *Philippi Cornei in 3.vol.61.in ordine*,quod vnicum Clientes attuliſſent pro eorum defenſione,ſi à principio comparuiſſet, & *ideò*, vel quia punctualitèr ad cauſam,vel ad euitandum faſtidium inueniendi librum Dominis Iudicantibus, licentiam ſumpſi eius verba transcribere hic à *num.20.vſq;ad num.28.* excluſiuè, & ſunt ſequentia:

Tertiò, deducitur iuſtitia dicti Ioannis lazari,quia dictus Petrus eſt obligatus ad faciendum fratres ratificari, cũ ità promiſerit, & illud hactenus non obſeruauerit, vndè eſt obligatus ad faciendum, & curandum cum effectu, quod dicti fratres dictam venditionem, & omnia in ea contenta attendent,& obſeruabunt, & pro obſeruantia omnium,& ſingulorum obligauit omnia ſua bona habita, & habenda, vt eſt expreſſum in dicto inſtrumento venditionis. Et ſic pro hac obligatione de faciendo fratres ratificare obligauit omnia bona ſua, & qui omne dicit nihil excludit, cap. ſolitæ de maio. & obe. & 19. di.Romanorum,& l.Iulianus, de leg.3. Et ideò cenſetur obligaſſe etiam iſtud nomen debitoris poſtea cõtracti vigore dicti aſſerti depoſiti,ſi verum depoſitum fuiſſet,quia conſtat,quod nomen debitoris hypothecari poteſt, l.nomen,C. quæ res pign.oblig poſ & l.poſtquam,C. de hæred.vel act. vend.& l.cum conuenit,de pig. & venit obligatio nominis debitoris in generali hypotheca ſaltem expreſſa, vt per gloſ. cũ qua tranſeunt, DD. in l.hæredem,C.de hæred. actio. & latius, & clarius per Bart.in l.quintus,la 2.§. argento,de auro,& argent.leg. Et hoc ſatis clarum foret, ſi fuiſſet nomẽ alterius, quã eius cui bona ſunt vniuerſaliter hypothecata.Sed dubiũ videtur, quia nõ poteſt quis

D ſibiipſi

ſibijpſi obligari, l. Vranius, de fideiuſſ. l. frater à fratre, cũ ſua materia, ff. de cõd. indeb. cum ſim. Ideò non videtur, ꝓ debitum ipſius Lazari ſit ipſi Ioannilazaro obligatum. Tamen ſalua meliori ſentẽtia videtur, quod etiam iſtud nomen debitoris veniat in dicta vniuerſali hypotheca. Pro cuius rei veritate inueſtiganda eſt videndum, an in ſpecie potuerit dictum nomen debitoris obligari ipſimet debitori. Et videtur dicendum, quod ſic, quia videmus in ſimili, quod poteſt ipſi debitori legari vſufructus nominis ipſius debitoris, vt eſt text. expreſſus, ff. de vſufruct. earum rerum, quæ vſu conſu. l. poſtquam, §. idem tamen. Et tamen res ſua nomini ſeruire poteſt, l. cum in fundo, in princ. de iure dotium, & in l. in re comm. de ſerui. vrb. præd. & proptereà nec vſufructus haberi poteſt in re ſua, l. vti frui, in princip. ff. ſi vſufruct. pet. Et ideò, licèt pignus in re propria haberi non poſſit, l. neque pignus, & l. nec ex prætorio, ff. de regul. iur. tamen non propterea videtur prohibitum haberi pignoratum, ſeù hypothecatũ nomen ſuimet debitoris, quia ipſum nomen debitoris non eſt ipſius debitoris, ſed creditoris, vt probatur in d. l. poſtquam rectè intuendo, & not. Bart. licet ad alium finem in l. grege, §. pignori, in fin. ff. de pignorib. & facit etiam d. l. nomen, cum concordantib. iuncta l. ſi rem alienam, ff. de pignor. actio. & quod not, Bart. in d. §. argento, notat. in l. & ſuum, §. idem probat, de pac. Ex quibus videtur ſatis apertè concludi, quod ipſum nomen debitoris poſſit per creditorem obligari ipſi debitori, & ſi poteſt in ſpecie obligari, pariter poteſt ſub vniuerſali hypotheca comprehendi, quia ipsũ operatur generalis diſpoſitio quò ad ea, quæ in ea comprehenduntur, quod operatur ſpecialis prouiſio, ff. de adminiſt. tutor. l. ſi duo, in fin. cum concordant. ibi in gloſ. allegatis. Nec refragatur, ſi quis dixerit, quod

non

non reſultet hypotheca, quia non poteſt ipſe debitor agere contra ſeipſum, quia ſatis videtur, quod competat retentio, & ex hypotheca cauſetur exceptio, nam ſi res pignorata traditur creditori, non competit ipſi creditori actio pignoratitia, cum ipſe rem pignoratam poſſideat, & tamen non propterea definit eſſe hypotheca. Ita licet in caſu iſto ceſſet actio, non propterea ceſſare debet vinculum hypothecæ, ſicut & aliàs videmus in ſimili, quod emptor iure quodam modo pignoris habet ius retinendi rem venditam, donec ſibi pretium ſoluatur, l. Iulianus, §. offerri, ff. de action. emption. Et aliàs competit ius retinendi, & non agendi, vt in d. l. grege, §. pignori, & in l. 3. §. fin. ff. rerum amo. Et licet videatur in contrarium multum vrgere, text. in l. pænult. C. depoſit. vbi videtur expreſſum, & ratione hypothecæ, ſeù hypothecariæ non poſſit depoſitarius vti retentione aduerſus deponentem, & Bald. ibi not. quod depoſitarius, qui habet obligata bona deponentis, non poteſt propter hoc retinere pecuniã depoſitam. Nibilominus reſponderi poteſt pluribus modis. Primò, per not. per eundem Bald. in d. l. pænult. vbi circa illam diſceptationem, gloſ. an liceat retinere rem depoſitam propter impenſas ſequendo opin. Placentini, quæ communiter approbatur, reſpondet ad textum, ibi, quod ille text. procedit, niſi hypothecaria, vel ſimile ius oriatur de ſua ideſt deponentis voluntate. Vnde vult Bald. quod hypothecaria, quæ oritur de voluntate deponentis, non procedat, d. l. pænult. Sed illa hypothecaria quæ cauſatur ex conuentione inita inter deponentem, & depoſitarium negari non poteſt, quin oriatur ex voluntate ipſius deponentis, meritò ſecundùm dictam theoricam Bald. non videtur procedere ille text. in hypothecaria deſcendente ex conuentione deponentis, quod & videtur

Digitized by Google

ſatis apertè velle gl.ibi, ſuper verbo cũ, & gl.ſeq.in princ. ipſius gl. Igitur cum iſta hypothecaria, de qua præmiſſũ eſt, non oriatur, niſi ex conuentione deponentis, & depoſitarÿ, dicendum videtur, quod in hac hypotheca non procedat ille text. Et ſi dicatur, hoc eſt diuinare, & nimium reſtringere illam literam, negari poteſt, quia illa litera non ità generaliter loquitur, ſed tunc denegat deductionem, ſeù retentionem, quando depoſitarius non recepit ſub hoc modo, vt generaretur ſibi retentio, proùt eſt ibi exprſeſsũ in litera, maximè iuncta d.l. gl. ſuper verbo cũ, & in gl.ſeq. Sed quando eſt conuentũ, quod ipſum nomen debitoris reſultans ex depoſito ſit hypothecatum, videtur illud depoſitum acceptum ſub ipſa hypotheca, quæ tendit ad retentionem rei hypothecatæ, ergò tunc non videntur verificari verba illus text. quæ loquuntur, quando non recepit eo modo, vt generaretur ſibi retentio. Quod ſatis putàrem claram, ſi illud nomen debitoris fuiſſet in ſpecie obligatum, ſed generalis hypotheca, vt ſupra dixi, videtur habere eandem vim quò ad ea, ad quæ trahitur, quam haberet ſpecialis per d.l. ſi duo, in fine cum concordantib. Ergò idem dicendum videtur in ipſa generali hypotheca, quod in ſpeciali, cum non reperiatur exceptum, quod nomen depoſitarÿ non veniat in generali, ſeù vniuerſali obligatione bonorum, proùt cætera nomina debitorum. Nam d.l.pænult. non impedit ortum hypoohecæ, ſed reſiſtit vir tuti, & effectui hypothecariæ in caſu tamen ſuo, & prædicta ſaltem videntur procedere, quando tempore depoſiti eſſet facta huiuſmodi conuentio vniuerſalis hypothecæ, quia non videtur poſſe dici, quod hypothecans non cogitauerit de huiuſmodi nomine debitoris, *& hoc quidem contingit in caſu noſtro. Nam inſtrumentum depoſiti, & inſtrumentum venditionis*

ſue-

fuerunt celebrata eadem die,& in eodem loco, & coram eodem Notario, vt apparet ex tenore ipſorum inſtrumentorum,& idem atteſtantur ſer Petrus, & Baptiſtinus,& illud,quod eodem die factum eſt, cenſetur factum incontinenti,vt ſatis probat text.in l.continuus, in princ. de verbor.obligat. Et Bald.in altera ſua repet. l.petens, C.de pact. dicit, quod ſi apparent duo contractus celebrati eodem die,loco,& teſtibus, cenſentur ſimul,& correſpectiuè celebrati, ità quod vnus contractus cenſetur celebratus correſpectiuè ad alterũ ſecundũ eum,facit etiã quod habetur in l. panult. ff. ſolut. matrim. Tamen in propoſito cum contractus venditionis, & contractus depoſiti fuerint celebrati eadem die,& eodem loco, & manu eiuſdem Notarij, videntur celebrati eodem tempore per prædicta, licèt teſtes fuerint diuerſi. Quod veriſimiliter factum fuit,vt nõ ità de facili detegeretur fraus, vel ſimulatio, vel quod aliud, quod ipſæ partes volebant tenere ſecretum,vt innuunt ipſa atteſtationes teſtiũ deſcriptorum in inſtrumento depoſiti. Si itaq; vnus contractus cenſetur fuiſſe factus incontinenti poſt alterum, vnus cenſetur alteri ineſſe, quia quæ incontinenti fiunt, inſunt ſeù cenſentur ineſſe contractui. l.lecta, verſ.dicebam, ff. ſi cert. pet. & l.iuriſgentium, §. quinimmo, ff. de pact. Idcircò ipſa venditio,& ea, quæ conuenta fuerunt in contractu venditionis cenſentur ineſſe in contractu depoſiti, & ècontra, & illa, quæ inſunt, dant legem contractui,vt in d.§. quinimmo, ergò ipſe contractus depoſiti cenſetur correſpectiuus ad contractum emptionis, & conuenta in ipſo contractu,& propterea cenſentur recipere legem à conuentis in contractu venditionis, iuxtà d.§.quinimmo,& l.1.§.ſi conueniat.ff.depoſit. Et ſecundum hoc dictum depoſitum cenſetur factum ea lege, vt

ipſum

Digitized by Google

ipſum nomen debitoris ſit obligatum pro obſeruantia cōuentorũ in ipſo contractu venditionis, & ſic ceſſare debet hoc caſu diſpoſitio, d.l. pæn. C. depoſ. maximè per id, quod not. d. gl. ſuper verbo extrinſecus, in auth. ſeq. cui gl. non inuenio contradictorem. Pro quo etiam facit, quia d.l. pænult. ſe fundat in bona fide, & ne trahatur ad perfidiã. quæ bona fides videtur ſatis adeſſe, & ceſſare perfidia, ſi pro conuentis tempore depoſiti, quæ dederunt legem ipſi depoſito, & ſic vt ipſa tunc conuenta obſeruentur, retinetur depoſitum, quod fuerit celebratum cum illa lege per prædicta. Et attento, quod quando contractus ſunt correſpectiui, vnus cenſetur factus propter alterum, & cenſetur pars alterius, l. fundi partem, ff. de contrahend. emption. Ità, quod illud depoſitum ità hypothecatum videtur cenſendum fuiſſe partem precij, quatenùs celebratum cenſetur gratia venditoris, proùt eſt de regulari natura depoſiti, iuxtà l. quod Nerua, ff. depoſ. Et verſa vice quatenus reſpicit commodum depoſitarij, cui permittebatur vſus pecuniæ, iuxtà l. Lucius, l. die ſponſaliorum, & l. quintus, ff. depoſiti, & maximè affectum ipſa hypotheca, cenſetur pars, ſeù augmentum rei venditæ, argumento d.l. fundi partem. Fortè enim venditor non vendidiſſet eo precio cum integra ſolutione pretij ſtatim facta, niſi ſibi fuiſſet factum depoſitum cum illa qualitate, proùt & ſuadet actus vicinitas, & dicta correſpectiuatio contractuum. Vndè ſi deponens non vult ſeruare contenta, immo dicitur aufugiſſe, & vult, quod fiat reſtitutio depoſiti ex parte ſua, videtur ineſſe perfidia, & ceſſare bona fides, non ex parte depoſitarij, ſi vult retinere, vt ſeruentur conuenta, quæ inerant, & dederunt legem depoſito. Quod & videtur poſſe demonſtrari hoc exemplo: Ponamus, quod tertius creditor haberet hypotheca-

ta

Digitized by Google

ta omnia bona dicti Petri, & per conſequens iſtud nomẽ debitoris, certè ille creditor poſſet exigere ab ipſo depoſitario pecuniam depoſitam, & depoſitarius ſibi ſoluendo liberaretur, & creditor poſſet illam pecuniam exactam retinere, d.l. grege, §. ſi pignori, de pignor. Ità ergò pari ratione videtur, quod ipſe depoſitarius habens obligatum ipſum nomen debitoris poſſit ſeipſum exigere, & ſe liberare ab actione depoſiti, & pecuniam exactam retinere loco pignoris pro ſuo credito, argumento dictæ l. ſi pignori, iuncta l. diuortio, in princ. de negotijs geſtis, & ff. de adminiſtratione tutorum, l. quoties, §. ſicut. Et per hanc viam ſublata actione depoſiti erit in conſequentiam ſublatum priuilegium ipſius actionis, cum ipſa qualitas priuilegij non poſſit ſtare ſine ſubiecto, argum. l. 2. ff. de vſufruct. & l. eius qui in prouincia, & ſi cert. pet. Eſt etiam aduertendum, quod text. d.l. pænult. loquitur de compenſatione, vel deductione, ſed qui retinet tanquam rem hypothecatam non compenſat, neq; deducit, ſed ſuſpendit exequutionem, vndè propriè ſumendo non verificantur verba illus, l. exorbitantis. Item ibi loquitur de exceptione doli, eò quia depoſitarius habeat actionem in rem, vel hypothecariam aduerſus deponentem, ſed quandò eſt obligatum nomen debitoris, non competit hypothecaria ſecundum ſententiam Bart. in d. §. pignor. licet DD. in hoc varient. Ideò ſecundùm ſententiam Bart. non verificantur verba illius, l. item Iacob. de Aret. loquens de actione in rem intelligit illum text. in actione in rem, quæ competat ad alias res, non ad rem depoſitam, & ità videntur ibi ſentire gloſ. Bart. & ſequaces volentes, quod aduerſus deponentem poſſit depoſitarius obijcere de ſuo dominio. Et ſi hæc ſententia vera foret, paritèr poſſet intelligi, quatenus loquitur de hypothecaria, cum actio

in

in rem,& hypothecaria ibi determinentur ab eodem determinabili,& ideò videntur pariter determinari,& pariter interpretari,l.iam hoc iure,cum concord. de vulg.& pupil. Ità,quod ex his omnibus videtur poſſe concludi, quod d. l. panult. non obſtet in caſu noſtro : Hæc Philipp. Corn.

In caſu noſtro (vt applicemus) Primò,eſt notū nimis in anno 1639.per contractum à Fiſco productum non fuiſſe principaliter actum , vt Clientes quaſi depoſitarij , vel ſequeſtri in cuſtodiam reciperent annuos duc.6800.de redditibus illius gabellę,vt ſolutis franchitijs, reliquum ſoluerent Curiæ ; nec enim Clientes hoc onus ſuſcepiſſent, nec erat cauſa, vt eijſdem tale onus daretur, vt ſic. Sed ex eodem contractu, & ex lectura eorundem inſtrumentorum inſpicitur origo,& intentio, imò finis principalis,quod fuit cōtrahentium , vendita gabella pro francha,& libera, dum Ciuitas prætendebat , ac perſonæ Eccleſiaſticę immunitatem, occaſio ſumpta eſt expreſſa in contractu, relaxandi venditori quantùm credebatur importare franchitias prædictas : & quia gabella vendita cum integro ſtatu , per emptores , & Dominos erat adminiſtranda, ideò onus datum fuit eis ſoluēdi franchitias. Item quia poterat dari caſus minus eſſe franchitias duc.6800.dictum fuit hoc plus remanere ad beneficium Curiæ ; ſed cum pacto ſoluendi pretium pro iſto pluri ſi adeſſet,ab ipſis emptoribus, interim verò computa franchitiarum dare in Regia Camera, quæ computa per equipollens reſpectu frāchitiarum adimpleta ſunt , quia ea quotannis habuit Camera per manus Credenzerij adhoc ſpecialitèr deputati; licet reſpectu reſidui nihil ſolutum ſit, quia

in

in manus Clientum nihil vnquam peruenit de dictis reditibus reſeruatis, vltra reditũ in Gabellamet venditum eiſdem Romer, & Vandeinde.

Secundò, non fuit principalitèr actum de cuſtodienda pecunia, nec relicta ſimplicitèr in manu Clientum, quando adfuiſſet vnquam, nec obolus deindè perueẽtus, ſed principalis contractus fuit venditionis totius Gabellæ, & occaſionalitèr ab eo omnia proceſſerũt; imò de eadem quantitate ſi aliquid reliquum fuiſſet, remanſit venditio ſtabilita ex tùnc, neſcimus quomodo ex dictis manifeſtis Iuribus, ac tot PP. auctoritatibus poſſit in caſu noſtro proponi actio depoſiti relicta actione ex empto, quæ informat vti principalis contractus, omnia in conſequentiam conuenta in eodem actu, ſcriptura, & inſtrumentis pro Fiſco, itàquè remanet actio ex empto non depoſiti, ità pro concluſione omnium ſit, in puncto *Faber. de numar. ſolut.* relatus à *Larr. deciſ.* 14. *numer.* 66. *in fine*, ibi: *Si depoſitum ex conuentione tranſit omninò in mutuum*, vt in *l. ſi quis nec cauſam, de reb. dub. tunc in iſta ſpecie nulla contractus depoſiti veſtigia remanent*, & in caſu noſtro mutaretur ſolùm verbum *in mutuum*, ad verbum *in venditum*.

Tertiò, ex abundanti dicimus, quod quando nec adeſſet facta venditio reſidui, & eiuſdem quantitatis, quã nùnc Fiſcus prætẽdit cauſa depoſiti; nec verum eſſet hoc reſiduum cum tota re deperditum facto Curiæ, imò non repertum in totum in ipſo tempore contractus, adhuc in tuto eſſet exceptio aduerſus prætenſam qualitatem depoſiti, quamuis fuiſſet ſimplicitèr vendita Gabella Cliẽtibus, & pro ſumma duc. 6800. fuiſſent deſtinati adminiſtratores cum obligatione

E red-

redditionis computorum, quia is, qui tenetur ad compotum abſolutè alicuius adminiſtrationis, ſtatim habet facultatem in computo deducere ſua Iura per viam dati,& accepti, & omnia prius diſpungenda ſunt, ad notata communiter *in l. quoties* 10. *§. non tantùm, ff. de adminiſtr. tut.* & hoc maximè quando in compenſatione deducuntur credita,vel deductiones profluentes ex eodem contractu, ad notata per *Fontan. deciſ.*255. *num.*4.

Quartò, ſi exceptiones,inobſeruantiæ contrauentiones, obligationes, refectiones, exigibilitas, euictio, retentio, & alia ad quæ tenetur Curia, dependent ex eodem cõtractu,tùnc limitatur diſpoſitio *l. ſi quis vel pecunias*, à lictera, & ſenſu eiuſdem *text.* ibi afferens rationem Imperator quare ſtatuerit, *Compenſationem, deductionem, vel doli exceptionem*, non admcti per depoſitarium, ſubiunxit, *Cùm non ſub hoc modo depoſitum acceperit, ut non conceſſa ei retentio, generetur, & contractus qui ex bona fide oritur, ad perfidiam protrahatur.* Ergo ſi in vno,eodemque contractu, ex quo Fiſcus agit, parantur exceptiones conuentis,vel deductiones, aut modificationes tùnc admictendæ ſunt,ex eodem *tex. in d. l. ſi quis uel pecunias*, quia *ſub hoc modo* accepit, & *conceſſum eſt*, quod *generatur ex eodem uentre contractus.* & hoc eſt, quod fundauit *Corn. d. conſ.* 61.

Quod fortius in caſu noſtro,vbi in tãtum Clientes promiſerunt de duc. 6800. recipere adminiſtrationem, ſoluere franchitias, de his compotum dare, & reliquum emere eodem pretio,vel ſoluere;in quantum in eodem contractu, imò per fundamentum ipſius fuit per Curiam eiſdem tradita Gabella, &ſi ad corpus,

pus, at certi valoris ann.duc.27. mil. de quibus retinuit duc. 1800. & deinde *de dicta ſumma* voluit retroceſſionem duc. 5000. in totum, qui fuerunt dicti ann.duc.6800. quomodo igitur ſi ad ſimplicem tenerentur computorum reditionem pro reditibus prædictis, & non eſſent potius Domini per venditionē in ipſo contractu, vt fundauimus, denegari eis poſſet in computo deducere cauſam ex eodem contractu ad eorum exonerationem, nempè fructus non percepiſſe, nec adfuiſſe, quinimò contra alia pacta in eodē inſtrumento perijſſe, *facto, & cauſa* eiuſdem Reg.Cur. Quod omnino iudicandum erit de omnibus alijs exceptionibus propoſitis, dùm vna eorum non eſt, quæ non fundetur in obſeruantia ex parte Curiæ eiuſdē contractus, per quem agit Fiſcus, etiam ſi ad computa tenerentur, etiam ſi qualitas depoſiti magis rigoroſa conſiderari poſſet, ex vi eiuſdem *l. ſi quis uel pecunias*.

Et conſiderandum eſt, quod ſi hæc omnia in vim defenſionis, deductionis, retentionis, contrapoſitionis, & replicationis veniunt per obſeruantiam eiuſdem cōtractus, & opponuntur aduerſus eundem Fiſcum, cum quo idem contractus fuit initus, nulli dubium eſt per indiuiduum voluntatis in eodem actu eſſe inſeparabilia, quicquid dici, & dubitari poſſet, quando exciperent emptores gabellæ aduerſus perſonas ipſas Eccleſiaſticas, & Ciues Neapolitanos, qui ex alio Iure, non ex contractu cum eis non inito, ſi peterent à poſſeſſoribus gabellæ, forſitan franchitias ab his opponi nō poſſet obſeruãtia aliorum conuētorū in contractu, ſcilicèt reddituũ defectus gabellę in actu mes vend itionis, & ex facto Regiæ Curiæ,

Taxarum ordinationes, & reliqua; nam replicare potuiſſent perſonę franchę, quid ad nos, tu videas? quia in omni caſu nos franchitias ex alio Iure noſtro petimus, & tu agas contra venditorẽ ex contractu, itàq; procederent deducta per *Gratian. diſcept. 665.* & alios qui afferri poſſent, non ſic quando Fiſcus ipſe agit, nùnc aduerſus Clientes quaſi ad eum debeatur prætenſum reſiduum, ex illo contractu cum eo inhito, per quem parantur ad inuicem actiones, & exceptiones, nec vnus poteſt agere, niſi adimpleat, & omnia ad inuicem ſunt corrſepectiua, imò indiuidua, & inſeparabilia per indiuiduum voluntatis, ad rationem *text. in l. cum eiuſdem, ff. de ædil. edict. l. etiam §. ex cauſa, ff. de minor.* vbi notant ex illo *tex Bart.* & alij per ſolam coherentiam in vnico actu, fieri quo ad obſeruantiam omnia indiuidua, & vnum trahit aliũ, imò vnum informatur ab alio, imò vnum eſt pars alterius, *ad text. in l. lectam, verſ. dicebam, ff. ſi cer. pet. l ſi ventri, §. in bonis, ff. de priuil. credit.* plenè *Giurb. deciſ.* 85. ad propoſitum *Menoch. lib. 6. præſumpt. cap.* 12. *per tot.* vbi *num.* 8. exemplificat in expreſſo depoſito correſpectiuo ad contractum emptionis, & vltra *Corn. conſ.* 61. quem ſupra attuleram adducit *conſ. Socc. ſen.* 273. *lib.* 2. qui in puncto ſentijt obligationem ſoluẽdi, quod aliàs non deberetur, puta in fideiuſſore, præſumi correſpectiuam ad aliam obligationem creditoris in eodem inſtrumento, licet in alio capitulo; & hic eſt caſus noſter ad peiorem lecturam; ſi enim prætendere poſſet Fiſcus (licet nos vſque nùnc ſufficientèr credimus probaſſe contrariũ) quod annui duc. 6800. vel reſiduum ipſorum deductis franchitijs, fuiſſet virtute illorum inſtrumentorum (in quibus nil vidimus

mus iſtud concludens) præcipuum,& omninò ſoluẽdum etiam ſi reditus venditi non adeſſent, prout nõ integrè,nec iſti vnquam fuerunt;& nùnc ad nihilum reducti ſunt penitùs. Adhuc ex Iuribus per *Soccin.in d.conſ.273. & Menoch.d.præſump.12. num.9.lib.6.* dicere poſſent Clientes, ꝙ hanc promiſſionem (de qua non apparet,ſed contrarium) de ſoluendo cum præcipuitate, & nùnc eſſet ſoluere de proprio,fuiſſe in correſpectiuum aliorum, quæ promiſit in eodem contractu Regia Curia. Faciat ergò Fiſcus iuxta conuẽta,quod Gabella exigatur integrè nõ pro medietate,vt ordinauit venditor (nec operatur ex cauſa iuſta id proceſſiſſe, vel neceſſaria, vt fundauimus in primis allegationibus)faciat nè exigatur Taxa contra etiam expreſsè conuenta ; faciat nè diminuta remaneat, imò annihilata per caſum Peſtis, quem expreſsè ſuſcepit in ipſo inſtrumento, vltra deductiones non faciendas *cauſa Regiæ Curiæ* ; faciat fructum fuiſſe ſaltim ab initio contractus, prout fuit abſolutè ſuppoſitum in inſtrumento pro annuis duc. 27. mil. faciat nè Gabella, & onus nouum non ſit impoſitum ſuper eodem oleo in anno 1642. faciat nè onera eiuſdem Gabellæ, proùt ſunt ſalaria miniſtrantium neceſſaria, non ſint quaſi obuentiones, & fructus redacta ad capitalia ad rationem decem pro centenario, quæ ſibi ſoluit Curia de fructibus Gabellæ prædictæ ſub nomine vẽditionis officiorum. Adimpleat, quod annui reditus promiſſi Clientibus non ſolùm ad ratam conuentam octo pro centenario, immò ad quatuor,ad tres,ad duo,pro pretio exburſato perdurando continuent ; & his, & alijs deductis à Fiſco adimpletis, ait *Soccinus dicto conſil.* 273. ſubſtinebitur.

Digitized by Google

tur pactum quodcunque ad ſui beneficium in ipſo vnico, & indiuiduo contractu, nè aliàs, *ex ipſo textu in d. l. ſi quis, vel pecuniam, C. depoſ. Fides ad perfidiam reducatur*.

Cætera ſuppleant Domini Iudicantes. Neapoli die 22. Martij 1657.

Dominicus Petronius.
Marcellus Graſsis.
Antonius de Ponte.

VA1
1516234

Digitized by Google